

De Negligentia Artificum.

SUMMARI A.

- 1 **A**rtifex negligens est, qui omittere vult peritiam necessariam, pro sua arte rectè exercenda, & num. 6.
- 2 Diligentia est mater omnium artium.
- 3 Qui non curat discere litteras, aut artem, se habet, tanquam brutale animal.
- 4 Apud Ægyptios, erat Magistratus præpositus, qui inquirebat negligentes, & otiosos, & puniebat.
- 5 Artis, publicus professor, tenetur, omni petenti, operari, soluta mercede, & num. 18.
- 7 An hæredes Artificis, teneantur, opus ab Artifice inchoatum, dum viveret, eo mortuo, perficere, & videnda est forma obligationis facta, cum Artifice mortuo.
- 8 Magistri Grammaticæ, tenentur emittere professionem fidei.
- 9 Si materia ab Artifice recepta, pro opere faciundo, pereat, aut diminuatur, ex negligentia Artificis, tenetur Artifex ad damna.
- 10 Negligentia culpatur, qui omittit Instruere alios, in sua Arte.
- 11 Qui ex sua arte, sibi diligenter victum querit Beatus est, & multa commoda, tam spiritua- lia, quam temporalia, acquirit.
- 12 Coactus, à Patria discedere, si artem sciat, sibi enorifice consulit.
- 13 Caveant Artifices, ne diebus festis, servilia operentur.
- 14 Possunt operari, quando res aliter est peritura; Ut segetes, & num. 15.
- 16 Villicus culparetur, si sineret recollectas perire, non adhibita necessaria diligentia.
- 17 Si opus inceptum periret, illud non prosequendo, Artifex tenetur prosequi.
- 19 Si ex negligentia Sutaris, mures corrodant Vestes, tenetur ipse ad damna.
- 20 Custos pignorum, tenetur, si tinea demoliantur vestes laneas.

ARTICULUS V.

De Negligentia Artistarum.

- 1 **D**escendere ad singulas artium species, ut in singulis notentur negligentia effectus, vel impossibile, vel nimis difficile reputavi; quare aliqua tangentiam in genere, de negligentia artistarum, dimittendo studiosis, applicationem, definitionis negligentia, in omnibus casibus practicis, quam explicavimus, in prima parte hujus tractatus; scilicet, quod sit (omissio ejus, quod quis facere debet, & potest, & scit, se ad id teneri) ita ergo artifex, in qualibet artis specie, ille dicitur negligens, qui omittit ea, quæ secundum regulas artis, tenetur servare, & facere, & potest, & scit se teneri.
- 2 Præmitto autem, quod notat Lucas de Pœna in l. cum vos affirmetis num. 5. C. qui etate, vel professione se excusant lib. x., quod scilicet, diligentia est, mater omnium artium, in opere suo; negligentia verò, noverca eru-
- 3 Prima, autem negligentia est eorum, qui omittunt discere litteras, aut artem aliquam; se habent enim, tanquam brutale animal, cum ab eo parum differant, licet enim habeant usum rationis, specificantis hominem, à brutis, tamen propter tantam ignorantiam, & propter negligentiam habitam in discendo, parum elevantur, ut vix possint, cum virtute uti ratione.
- 4 Idè apud Ægyptios erat lex cogens unumquemque, ex Civibus, ad ediscendam aliquam artem, & ad hoc erat destinatus publicus Magistratus, qui diligentissimè conquirebat negligentes, & poenis impositis, mulctabat; Solon quoque legem tulit, ne filius, parentem, qui ipsum non docuisset artem, cogeretur alere, & Judices Areopagi, in otiosos, & negligentes, animadvertere præcepit, teste Plutarco.
- 5 Artifices incurrunt negligentia culpam, si re-

- si recusent, pro omnibus, & singulis, opus suæ artis poscentibus operari; certum est enim, quod publicus artis professor, tenetur omnibus petentibus, & mercedem solventibus, non denegare opus artis, ad tex. in l. Mechanicos C. de excusat. artific. lib. x., ubi Lucas de Pœna num. 3., & in l. Archiatri C. de professor. lib. x.
- 6 Hinc, & culpabitur artifex, negligentia, si ignoraverit, seu discere non curaverit, quæ necessaria sunt, pro ritè, ac rectè exercenda arte, quàm publicè proficitur.
- 7 Non contemptibilis est, quæstio, an si artifex, post assumptum, vel etiam inceptum opus, moriatur, teneantur ejus hæredes, opus ipsum complere, si artem noverint, vel compleri curare, per alios artis peritos, alias negantes, seu recusantes complere, culpam negligentia incurrant, & dicendum est, non incurrere, nisi speciali pacto, cum artifice mortuo, convenum fuisset, qui promississet complere opus, obligando se, & hæredes, alioquin obligatio, est tantum personalis, quæ extinguitur cū persona, nec transit ad hæredes l. inter artifices ff. de solut. l. nemo est ff. de duobus reis, Bartol. in l. si sit stipulatus in fine ff. de verbor. oblig., Roman. Singular. 670., Felin. in c. quoniam §. is autem num. 5. de officio deleg.
- 8 Professores artium liberalium, ut Magistri grammaticæ, vel alterius hujusmodi facultatis, omittentes emittere professionem fidei, juxta Bullam Pii IV., culpam negligentia incurrunt ad allegata per Barbosa de potestate Episcopi alleg. 61. sub num. 3., & possunt per Episcopum prohiberi, ne artem illam exerceant, aut doceant, donec hujusmodi professionem fidei, emiserint.
- 9 Contingat, quod Artifex assumpserit opus faciendum, sed in eo negligens fuerit, ita ut receptam materiam, pro opere construendo, vel amittat, vel diminuat, vel deteriori reddat, tenetur ipse de suo damna refarcire, quinimò etiam de levissima culpa teneretur, sit exemplum: Aurifex, receptam gemmam, & aurum assumpsit in anulum, vel torquem construere, vel receptum argentum, in Calicem eformare, ex ejusdem tamen Artificis negligentia, vel gemma frangitur; vel aurum, aut argentum, in parte deperit; Tenetur Artifex ad damna, & interesse, quia ipse est in culpa sequentis damni, ad tradita per Dianam p. 8. tract. 7. resol. 33. versi. Unde apparet, Azor. p. 3. lib. 4. c. 6. quæst. 3. ad finem, ubi recensita sententia Sylvestri, quod teneatur de culpa levi, tantum, quia opus fiat, in gratiam utriusque, ipse tamen comprobatur, artificem teneri, etiam de levissima, quia ex professione suæ artis, maxime in rebus pretiosioribus, censetur exactissimam diligentiam promittere; faciunt dicta per Scacciam de commox. §. 7. glos. 2. num. 95., Bonacina de contrac. disp. 3. q. 1. p. 6. n. 15.
- 10 Alio casu poterit artifex negligentia culpari, si negligat, & recuset, alios in sua arte instruere, unde Reipublicæ damnum sequatur, ex quo remaneat Civitas privata, tali commodo, scientis scilicet artem; Sylvestri summa Vers. de artificibus, sicut enim culpatur, in sacro Evangelio, qui receptum talentum abscondit in terra, tenetur enim unusquisque, talentum sibi à Domino Deo concessum, ad aliorum utilitatem, & maxime ad bonum publicum, exercere, alioquinque instruere, ad imitationem naturæ, quæ ad conservationem specierum, omninò consulvit, nec finit speciem perire, ars autem imitatur naturam, in quantum potest, etiam æmulando §. Minorem Instit. de adept., Menoch. de præsumptionibus lib. 4. præsup. 2. num. 22., unde non debent, in arte periti, sinere artem illam in Civitate, & Republica, perire, aut quod Respublica cogeretur, aliunde cum gravi expensarum incommodo, similes artis peritos, accersere.
- 11 Advertant autem Artifices, ad hoc, ut fiant diligentiores in operando, ad Præconiū Spiritus Sancti decantatum in psalm. 127., labores manuum tuarum, quia manducabis, in beatus es, & bene tibi erit, quia dum attentè opus artis operantur, multa sequuntur commoda, & bona, nempe effugant otium, enervant tentationes; ac insidias Diaboli, sibi victum, & familiæ parant, bonum sibi nomen acquirunt.
- 12 Tum quia, sciens artem, si cogatur quacunque ex causa, Patriam, domumque paternam, deferere, ad quascunque Civitates se conferat, artificio, suo invenit, quo sibi consulat, quo necessitatem, & indigentiam, depellat, & habet locum illud Philosophi enuntiatum, quod vir eruditus ubique Crovis est, quæcumque regio, sibi patria est, nullibi peregrinus.

Hinc

Hinc etiam, in articulo de negligentia Parentum in filios, diximus, quod diligens pater, debet curare, si opes non abundant, quod filii artem addiscant, qua suppleant fortunæ defectus.

13 Monitos tamen enixè, volo artifices, ne inhiantes nimis lucro, negligent Ecclesiæ præceptum de observantia festorum, in quibus, abstinere ab operibus servilibus præceptum est, observant enim aliqui, ex Sacris Scripturis, relati per Homobonum tract. de humane vitæ statu p. 2. c. 13., quod artifices negligentes observantiam festorum, solent multa pati infortunia, nempe morbis afflicti, & improvise, atque inopinata jactura, depauperari, ita ut quod lucrantur in anno, amissum suspirent in hora, & si aliqui nihil adversum passi, videantur vitam transigere, hi forsitan graviora sustinent infortunia, dum perseverantes in neglectu, cumulant culpas, nec habent quibus moniti, rescipiscant.

Quibus autem casibus liceat, sine culpa, die festo artem exercere, & operari servilia, non est nostri instituti, sed ad sacros Theologos, moralia tractantes, lectores libenter reicio.

14 Regula tamen, datur ab Alexandro III. in cap. licet tam veteris de feriis, quod etiam diebus festis, non tamen in solemnioribus, liceret servilia operari, quando ommissio esset in causa, ut res periret, aut alius sequeretur effectus, quo humanus convictus, non leve incommodum pateretur, & casus in tex. est de capiendis heliciis in die festo, quando moventur, & transeunt, quæ si pro ea hora non capiuntur, ita transeunt, ut nequeant amplius capi, & sic humanus convictus, patitur hoc incommodum, ut nequeat eis uti, & frui, quod tamen censetur concessum, in illo generali decreto Divini Opificis (Dominamini piscipus maris, volatilibus Cæli, & bestis terræ, & ex quo Deus, cuncta creaverit in gratiam hominis; quod si cesset incommodum, quia equè benè sequentibus diebus, opus illud servile fieri poterit, tunc non est concessum, in die festo operari.

15 Hinc Barbosa in dicto. licet num. 6., elicit hanc conclusionem, ergo licitum est segetes jacentes in agris, & forum in pratis ad locum securum, in festis deferre, si imminet tempestas, vel pluvia, quæ corrumpere ea, si in agro remanerent, & tempore vindemiarum, vas colligere, ne pereant, & prosequi opus inceptum, quando ex ommissione, & dilatione notabile dam-

num, & jactura sequeretur, quia tunc verificatur de eis, quod sint tempore peritura, Fermosin. in eod. cap. licet num. 5. quest. 2.

16 Undè Villicus, & quicumque aliena negotia ruralia gerens, recepta mercede, culpandus esset, si videns periculum rerum prædictarum pereundi, negligeret eas colligere, & teneretur de damno, ex quo negligeret ea, ad quæ tenetur, & posset eas à periculo, diligenter operando, subtrahere Fermosin. supra num. 6., ubi num. 9., idem dicit de iis, qui metunt segetes, aut purgant triticum, ne pereat; scilicet id posse etiam die festo, & consequenter villicus pro suo munere tenetur curare, ut id fiat, alias negligendo peccaret.

17 Idem prorsus, dicendum de Artifice, qui die feriato incepto opus, si intercedat dies festus, & non proficeretur, unde damnus, & jactura domino sequeretur, ut contingit in decoctione laterum, calcis, vitri, Saponis, & similibus, in quibus interruptio operis, notabile damnum derivaret, ex allatis per D. Thom. 2. 2. quest. 12. art. 4., Azor. p. 2. Instit. lib. 1. c. 27. quest. 2., Sylvester Vers. Dominica quest. 5., aliisque relatis per Trulench. lib. 3. c. 1. dub. 8., Suarez. de relig. lib. 2. c. 32.

18 Artifices quoque, qui publicè profitentur artem, vel habent apposita insignia, si negligenter operari, & sic recusarent facere opus suæ artis (ut supradictum est) possunt autoritate publica, cogi ad operandum, ut de Medico publicè profitente, qui cogi potest, ad mendendum ægrotum, soluta mercede, vel etiam mercede non soluta, si ægrotus sit pauper l. Archiatri C. de professor, & Medicis, l. Mechanicos C. de excussat artifice. lib. 2. c. 31. num. 5., ubi Lucas de Pœna num. 3., quod & exemplificando dicit de Advocato, Notario, Hospite, & quocumque Artifice, Cagnol. in l. nemo in vitis 199. de reg. Jur., Fe. lin. rubr. de testibus cogen., & facit tex. in c. 1. de empt., & vendit., ubi Barbosa, aliique per eundem allegati, in l. 1. num. 4. C. de Episcopali audientia, quod exponens rem venalem cogitur vendere, si recuset: Ricciul. de Jure personarum, in statu reprobo versant lib. 2. c. 31. num. 5.

19 Si ex negligentia Sutoris, vestimenta aliena, apud se detenta, mures corrodant, ipse Sutor, tenetur, non enim est casus fortuitus,

arg.

arg. ex tex. in l. item queritur S. si fullo ff. locati, Paris de Puteo de Sindicatu, in Versic. negligentia num. 18., debuit enim Sutor, sicut in dicto tex. dicitur de Fulone, locare vestem, in armario, seu loco tuto, quia si casus fortuitus est ille, cui diligens Pater familias resistere non potest, ad tradi, per Caroc. de locato p. 4. sub tit. de casibus quest. 12. nu. 19., certum est, quod ne mures corrodant, diligens pater familias resistit, idè non militat paritas, si vestes furto auferantur, effracto pariete Domus, vel Apothecæ, quia

tunc esset casus fortuitus; secus verò si propter negligentiam Artificis, in custodiendo, sine ractura subripiantur, quia tunc artifex teneretur: Caroc. dicta quest. 12. num. 33.

20 Ita pariter de Feneratoribus, & Custodibus pignorum, si ex eorum negligentia, pignora lanea, tineæ demoliantur, non dicitur casus fortuitus, cum per diligentem patrem familias possint excuti, tenentur ad damna, dicit Baldus in dicto S. si Fullo

De Negligentia Biruariorum.

S U M M A R I A.

- 1 Biruarii, quia sunt ministri necessarii, in aliquibus tollerantur, & num. 7.
- 2 Licet nequeant, sine mandato, quemquam capere; tamen rixantes capere possunt, & tenentur rixas impedire.
- 3 Tenentur captum, diligenter Custodire.
- 4 Si recta intentione exequantur officium suum, merentur.
- 5 Quando sunt negligentes, merentur ab officio removeri.
- 6 Ut illorum negligentia sit punibilis, debet esse non levis, sed Culpabilis.
- 7 Sunt Principi necessarii, ad regimen.
- 8 Deferunt arma ad sui defensionem, & Justitiæ, administrationem.
- 9 Iniquitas (l. si servus C. de his, qui ad Eccles. confug.) consistit in eo, quod potestate laica, privet servos Immunitate.
- 10 Quo temperamento, sit intelligenda, dicta l. si servus.
- 11 Quo casu possint biruarii, Reum occidere.
- 12 An teneantur, in sui defensione, servare rigorosè moderamen, inculpate tutelæ.
- 13 Biruarii permitentes reum fugere, quam penam mereantur, remissivè.
- 14 Biruarii Curia Ecclesiastica, minorem satis facultatem percutiendi, aut vulnerandi reos fugientes, quam biruarii Curia Laica, habent.
- 15 Debent ostendere mandatum, de capièdo, alias, eis non creditur.
- 16 Baroncellus, magis obligatur, ad diligenter exequendum suum officium.
- 17 Quibus casibus Baroncellus, negligens sit, privandus officio, & num. 18.
- 19 An sit saltem, cogendus vendere, suum officium.
- 20 Maxime, si delinquat, in committendo, ut sentiunt aliqui.
- 21 Negligentia Carnificis erit, si non præparet necessaria, ad exercendum suum officium, vel differat, vel recuset.

ARTICULUS VI.

De Negligentia Biruariorum.

1 **B**iruarii, qui, & Lictores, sunt vilissimi, & abiecti, de plebe, & facile pretio corrumpuntur, si tamen pecuniam extorqueant, aut comestibilia, (ut videtur consuetudine introductum) solent non puniri, sed, tolerari, ut indicat S.

August. relatus in can. non sane 14. q. 5., eorumque qualitates describit, ex alienis relatis, Raynaldus observ. Criminal. tom. 1. cap. 4. S. 1. à num. 1. ad 5., ita ut officium Licitoris, datum fuerit à Romanis Brutys in penam, eo quod primi ad Annibalem defecissent, ut ex Festo, & Gellio colligit,

Ric.